

assentire; noluit autem, non quia ex parte vocationis aut Dei aliquid illi necessarium deesset, sed quia noluit, et ibi tanquam in ultima ratione sistendum est. De qua re dixi plura, tractatu de Prædestinat. et reprobatur.

CAPUT XXVI.

DOCTRINA DATA DE AUXILIO EFFICACI ET CONCORDIA EJUS CUM LIBERO ARBITRIO, VERBIS CHRISTI, MATTH. 11, COMPROBATUR.

1. *In Scripturis nil expresse traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione congrua, etc., sub his expressis vocibus.* — Suppono in Scriptura sacra non inveniri aliquid expresse traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione congrua, imo nec de auxilio efficaci, sub his expressis vocibus, sed ad summum inveniri verba prædestinandi, præfiniendi aut definiendi, Deo ex æternitate attributa, etiam quoad effectus a libero arbitrio dependentes. Sed de his jam in superioribus diximus esse longe diversa a verbo prædeterminandi, prout significat motionem quam Deus voluntati hominis in tempore infert, ut modo illo utimur; an vero liceat ab uno ad aliud argumentari, licet dictum etiam sit, aliquid fortasse attingemus. Vocationis autem et auxilii nomina sæpe inveniuntur in Scriptura; cum addito vero *congruæ vocationis* non invenitur. Solum ad Hebr. 4, loquens de Christo, Paulus exhortatur nos, *ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Quæ vox magnam affinitatem habet cum auxilio congruo, et ita D. Thomas exponit, id est, *congruo tempore*; et ita cæteri verbum illud maxime exponunt de temporis opportunitate, scilicet, vel in quo maxime illo indigemus, ut est tempus tribulationis, persecutionis, ac tentationis, vel etiam mortis, aut certe de tempore in quo nobis prodesse possit, ut est tempus hujus vitæ, ut cum Chrysostomo exponit Theophyl. At vero nihil obstat quin ibi etiam significetur auxilium omni ex parte ita opportunum, ut de facto prosit; tale enim maxime petendum est; nihilominus tamen qualis esse possit, vel requiratur opportunitas, ibi non declaratur, nec in alio Scripturæ loco, ut dixi. Ideoque non sunt petenda expressa testimonia quibus vera doctrina de auxilio efficaci comprobetur, sed per illationes ac deductiones, vel necessarias, vel maxime probabiles, veritas hæc ex Scriptura eruenda

est. Tribus autem modis doctrinam datam ex Scriptura colligimus. Primo, ex locis in quibus docemur eandem vocationem, quæ in uno homine est inefficax, in alio esse efficacem; secundo, ex aliis quæ in proxima potestate voluntatis humanæ, supposita vocatione Dei, ponunt tam resistere illi, quam facere ut effectum habeat, ac subinde efficax sit. Nam ex utroque principio concluditur prædeterminationem physicam non esse necessariam ad efficaciam gratiæ, ac subinde in vocatione congrua ponendam esse. In tertio vero loco addi possunt testimonia quæ ita commendant usum et modum libertatis, ut consequenter prædeterminationem excludant.

2. *Primum argumentum sumitur ex Mat., cap. 11.—Supponendum.*—Primum ergo argumentum sumimus ex illo loco Matth. 11: *Væ tibi, Corozain; Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio et cinere penitentiam egissent.* Ut autem ex hoc loco argumentum validum sumi possit, oportet supponere verba Christi non per exaggerationem aut per conjecturam fuisse dicta, sed certissimam prophetiam ex infallibili præscientia profectam continere. Hoc probatum suppono ex proleg. 2, et aliis locis ibi citatis; tunc sufficit nobis auctoritas Augustini, lib. de Dono persever., c. 10 et 14, et in Enchirid., c. 95, quibus locis, illis verbis Christi utitur tanquam certissimis, et apertissimam continentibus prophetiam. Quo supposito, sic ex hoc loco argumentamur: Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ coram Judæis factæ sunt, cum solo interiori auxilio quod Judæis datum et oblatum est, illi credidissent; sed Judæis habitatoribus Corozain et Bethsaidæ tantum fuit data vocatio sufficiens, qua possent velle credere, et non est data prædeterminatio physica, ut constat, quia noluerunt credere; ergo Tyrii et Sidonii cum eadem vocatione crederent absque alia prædeterminatione; ergo illamet vocatio, quæ in quibusdam non fuit efficax, in aliis foret efficax, et non propter prædeterminationem; ergo quia illi attemperarent voluntatem suam vocationi, et quia vocatio esset illis attemperata et congrua, licet aliis non fuerit.

3. *Quid ad hoc argumentum respondeant adversarii.—Refutatur responsio.*—Ad hoc argumentum respondent, negando Tyrios et Sidonios fuisse credituros per eandem vocationem externam et internam solam prævenientem, sed fuisse credituros, quia eorum

voluntates a Deo prædeterminarentur. Quia illa præscientia Christi supponebat decretum Dei conditionatum, quo statuerat dare Tyriis et Sidoniis prædeterminationem, si apud illos factæ essent omnes virtutes quæ in aliis civitatibus factæ sunt. Nam Christus Dominus non dixit, quod, si illæ virtutes factæ essent apud Tyrios, cum illis solis, vel sine prædeterminatione credidissent. Sed hoc ex parte refutatum est in prolegom. 2, ubi ostendimus frustra in Deo confingi talia conditionata decreta. Hic vero ex propriis impugnatur tripliciter. Primo, apertissimo testimonio Augustini, dicto lib. de Dono persever., cap. 14, ubi ex verbis illis Christi ita colligit: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturale munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Hæc enim illatio Augustini nullius momenti est, si verum est Tyrios et Sidonios fuisse credituros, quia danda illis fuisset prædeterminatio quæ non fuit data Judæis, quia, licet in Tyriis non fuisset aliud intelligentiæ lumen, nec alia ratio congruitatis, sed in omnibus antecedentibus conditionibus essent pares Judæis, imo licet essent inferiores, et virtutes factæ apud illos essent minores, si danda esset illis prædeterminatio, infallibiliter essent credituri. Ergo vel Augustinus, si alias sentiebat illud discrimen fuisse futurum inter Tyrios et Bethsamitas, ex divina prædeterminatione illis danda, quæ istis fuit negata, ineptissime intulit aliud discrimen in congruitate; vel, si hoc de Augustino sentire ineptissimum et insolentissimum est, fatendum est illum non cognovisse talem prædeterminationem, nec conditionatum decretum de illa danda Tyriis, sed in sola congruitate a Deo præcognita diversitatem illam quoad efficaciam posuisse.

4. *Item impugnatur illa responsio.*—Secundo, impugnatur illa responsio, quia ex illa redditur omnino inefficax, imo injusta Christi Domini exprobratio. Probatur sequela, quia, juxta illam responsionem, hunc fuisse oportet sensum comparationis Christi: Si in Tyro et Sidone essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, illis data etiam fuisset divina prædeterminatio quæ vobis data non est, et sic in cinere et cilicio penitentiam egissent. Ad hæc quæ exprobratio Judæorum est? Profecto potius esset excusatio. Nam si hoc Judæis innotesceret, merito responderent: Quid mirum quod illi crederent, prædeterminationem recipientes ad credendum? Da nobis illam, et credemus.

Aut: Quid nos reprehendis, si prædeterminationem, sine qua impossibile est voluntatem nostram determinari ad credendum, non habemus, nec tu illam nobis das aut offers, neque nos aliquid agere possumus quo illam consequamur? Ut si quispiam exprobraretur quod pondus non portaverit solus, quod alter cum adjutorio tertii portasset, futilis esset reprehensio, nam justa excusatio esset in promptu, ut per se constat. Respondent vero Christum increpasse Judæos, quia majora peccata commiserant, per quæ magis indigni talis auxilii extiterunt, utpote propria malitia obdurati, quod non fecerunt Tyrii ac Sidonii. Quamvis enim (aiunt) non potuerunt Judæi aut Tyrii, etc., ad prædeterminationem suis viribus se præparare, potuerunt nihilominus magis vel minus se impedire, et ideo merito exprobrantur Judæi, qui cum essent magis indigni, magis fuerunt adjuti ex parte Dei. Et statim ad hoc allegant D. Thomam, 3 cont. gent., cap. 159 et 160.

5. At hæc responsio imprimis involvit repugnantiam in illa sententia, nam, juxta illam, ex parte hominum nulla potest reddi ratio cur potius huic homini detur prædeterminatio quam illi, nec cur potius huic denegetur quam illi, nam Deus ante præscientiam omnium futurorum decrevit huic dare determinationem, et non illi pro solo suo arbitrio; ergo ante prævisam in illis Gentilibus et Judæis majorem vel minorem indignitatem, utrisque voluit non dare determinationem; ergo non potest illa responsio accommodari juxta illius sententiæ principia. Secundo, magis hoc urgetur, quia illi auctores dicunt non solum ante præscientiam futurorum absolutam, sed etiam ante conditionatam, decrevisse Deum dare prædeterminationem Tyriis, si etiam in illis fierent talia signa; ergo similiter ante omnem præscientiam absolutam et conditionatam voluit Deus non dare Judæis eandem determinationem, etiamsi apud eos fierent talia signa; ergo non est illis negatum illud auxilium propter majorem indignitatem; sed absolute, quia Deus dare noluit. Accedit quod obduratio Judæorum in non credendo, visis talibus virtutibus et signis, supponit carentiam prædeterminationis; ergo non potuit illa obduratio esse ratio ob quam Deus decrevit talem prædeterminationem eis non dare. Nisi forte dicant, propter obdurationem sub conditione prævisam, decrevisse Deum etiam sub conditione non dare Judæis prædeterminationem ad fidem, etiamsi in eis fierent virtutes, quod et in

illa sententia repugnat, quia talis præscientia supponit in Deo decretum mere voluntarium in quo fundetur, et præterea puniret Deus peccatum tantum sub conditione præcognitum, quod esse valde absurdum ostendit Augustinus contra Semipelagianos, dictis locis de *Dn. persever.*, cap. 10 et 14, et lib. de *Prædestinat.* Sanctior. frequenter.

6. Tertio, etiam illo modo non justificatur Christi exprobratio, quia, etiamsi Judæis denegaretur prædeterminatio propter majora peccata, possent reprehendi propter illa peccata, non tamen quia non convertēbantur et pœnitentiam agebant; at vero, ut ibi D. Thomas notat, Christus non exprobravit Judæis peccata commissa, sed eorum impœnitentiam; ergo supponit illa exprobratio datum fuisse Judæis vel oblatum quiddam eis necessarium erat ad agendum pœnitentiam, ac subinde prædeterminationem non esse necessariam. Probatur consequentia cum majori, quia, denegata prædeterminatione, in sensu composito jam non poterant converti, nec erat in potestate illorum facere aliquid quo auxilium efficacis prædeterminationis obtinerent; ergo non peccabant in eo quod non erat in eorum potestate, ut sæpe ex doctrina Augustini argumentati sumus. Imo possent illi Judæi non immerito conqueri quod fide vocarentur ad fidem, et, ad occasionem captandam vel colorem puniendi illos, fierent in eis exteriora signa et virtutes, cum illis nec daretur nec offerretur internum quoddam auxilium necessarium omnino ad credendum.

7. Quarto multo magis excusari possent quod non solum non dabatur, nec offerebatur eis determinatio ad credendum, sed potius ipsorum voluntas a Deo prædeterminabatur ad voluntatem non credendi, et prius fuisset determinata ad illos actus, quibus vel obdurati, vel magis inepti ad credendum facti sunt. Et sic etiam juste ad comparationem exprobratoriam respondendo, se possent excusare dicentes: Quid nobis imputas, quod indigniores facti sumus, cum Deus ipse nostram prædeterminavit voluntatem ad omnia quæ fecimus, vel volumus, quod in Tyriis et Sidoniis non tam frequenter, vel non circa objecta habentia tam gravem deformitatem fecit? Sed objicitur nobis idem argumentum posse fieri contra nos, quia etiam vocatio congrua est necessaria ad agendam pœnitentiam, et hæc non fuit data Judæis, data vero fuisset illis gentibus; unde etiam possent Judæi excusari, quia non fuerunt congruenter vocati, sicut alii fuissent.

At vero nihil juvat evasio, nec excusatio Judæorum esset legitima, nam auxilium ex parte Dei oblatum revera erat idem, seu æquale, et per malitiam Judæorum non fuit eis congruum, aliis vero futurum erat congruum non sine libera cooperatione ipsorum, seu non sine ordine ad illam. Et ita merito Judæi exprobrantur comparatione gentilium. Prædeterminatio autem data fuisset ex sola voluntate Dei, et ex eadem fuisset negata Judæis, quæ est evidens inæqualitas, non ex ipsis nata, sed tantum ex Deo.

8. *Instantia.* — *Redarguitur et convincitur.* — Sed contra hoc instatur, quia etiam nunc fuit similis differentia. Nam Judæi videntes signa posuerunt impedimentum, ne a Deo prædeterminarentur, quod impedimentum non ponerent Tyrii et Sidonii. Sed hoc eisdem modis redarguitur, et convincitur in illorum auctorum principiis; tum quia etiam hoc modo supponitur Deum in præscientia denegasse illud auxilium Judæis propter eorum peccata, et non ex se, quod ipsorum dictis est contrarium; tum etiam quia ex parte Tyriorum illa scientia est conditionata, et ita Deus decrevisset dare prædeterminationem Tyriis, si virtutes in eis fuissent factæ, quia jam sub conditione præviderat eos non fuisse opposituros impedimentum prædeterminationi, quod et repugnat doctrinæ illorum, quia Deus non habet illam præscientiam ante decretum liberum suum, et coincidit in sententiam Semipelagianorum, quatenus dicebant Deum punire vel præmiare opera sub conditione tantum prævisa, et nunquam futura; tum præterea quia, supposita necessitate prædeterminationis, nulla est dispositio ex parte hominis libera, quæ posset impedire prædeterminationem, neque hoc potest in culpam hominis referri, ut supra efficaciter probatum est, quia nemo impedit secundum vel novum auxilium præveniens, nisi quia non bene utitur primo; nemo autem bene uti potest primo, nisi ad illummet usum detur auxilium efficax; ergo deveniendum est ad primum auxilium efficacem necessarium ad primum usum; si ergo illud detur, infallibiliter sequetur bonus usus prioris auxilii, et non ponetur impedimentum ex parte hominis, sed quia Deus non vult dare. Præterquam quod quicumque usus, vel non usus priorum auxiliorum, revocandus est, in illa sententia, ad prædeterminationem datam vel negatam ad hunc vel illum usum.

9. Denique, tota hæc responsio manifeste repugnat Augustino in citatis locis. Nam, ex

hoc ipso Christi testimonio colligit vocationem congruam pro solo Dei arbitrio negari quibus vult, sine ulla ratione sumpta ex operibus vel absolute vel conditione prævisis. Quapropter nullo modo posset justa vel rationalis illa propositio (Si Tyriis prædicatum fuisset Evangelium cum talibus signis, credidissent) in illa suppositione fundata esset, quod illis daretur prædeterminatio efficax; ergo sensus verborum Christi necessarius est, credituros fuisse Tyrios et Sidonios cum illis auxiliis quibus vocabantur Judæi, utique non solum externis, sed etiam internis sufficientibus. Hi enim nunquam excluduntur, quia semper supponitur Deum illa dare proportionata vocationi et signis externis, ut in lib. 3 declaratum est. Meritoque sub signis et virtutibus intelligere debemus non tantum quæ sensibus objiciebantur, sed etiam quæ in animis audientium virtute Spiritus Sancti fiebant; ita ut planus et simplex sensus verborum Christi sit: Si Tyriis et Sidoniis data fuissent subsidia quæ vobis data sunt, pœnitentiam egissent; ergo illa erant satis ad efficacem conversionem, si voluntas libera suam cooperationem adhiberet. Unde possumus tertio argumentari, nam verba Christi in communi, et usitata ac proprio verborum sensu accipienda sunt, nisi vel gravissima auctoritas vel evidens ratio aliter interpretari compellat; sed juxta communem et usitatum sensum, similia verba faciunt sensum præcisum et exclusivum, et ita sine dubio ab his qui Christum audiebant intelligebantur; ergo ita sunt a nobis interpretanda. Major constat ex generali regula interpretandi Scripturam. Minor declaratur exemplo, nam si, me rogante alium ut mihi beneficium conferret, et illo nolente, dicerem: Si Petrus petiisset a te, illi dares, nemo dicit sensum esse: Si Petrus a te petiisset dando pecunias tibi, beneficium illi dares, aut satis esse ad veritatem locutionis, quod Petrus non sola petitione, sed adjunctis pecuniis, obtineret: hoc enim non esset beneficium impetrare petendo, sed obtinere emendo. Sic ergo in præsentia, si conditionalis locutio Christi non ita intelligatur, ut Tyrii et Sidonii credituri essent, cum eisdem subsidiis præcise sumptis, quæ data fuerant Judæis in rigore et proprietate, falsa esset locutio Christi, etiamsi credituri essent cum illis subsidiis, adjuncta prædeterminatione quæ Judæis data non fuerat neque oblata. Eo vel maxime quod tunc conversio Tyriorum magis fuisset coacta, vel necessaria, quam

libera et voluntaria, de qua Christus loquebatur, et ob cujus defectum Judæis exprobrabat.

10. Unde, præter Augustinum locis citatis, hunc sensum tradunt, vel tanquam certum supponunt expositores in Matthæum, Gloss. ordin., D. Thom., Jansen., Maldonat.; expressius vero Anselmus sic ait: *Quomodo prævidebat Deus illos (scilicet Tyrios et Sidonios) habiles esse ad conversionem, tamen non fuit injustitia, sed eos qui peccatores erant, et ideo indigni, noluit vocare, quia cum vult, miseretur, et quem vult indurat.* Certe non vocat habiles, quia essent capaces prædeterminationis; hoc enim modo omnes, quantumvis obdurati, sunt habiles; sed quia erant ita affecti ut eis futura fuisset congrua vocatio. Unde subdit inferius: *Sed quare Deus negat gratiam libenter suscepturis, et gratiæ consensuris, non est nostrum scire, etc.* Idem satis insinuat Ambrosius, lib. 7, in cap. 10 Lucæ, dicens: *Si Tyrus et Sidon tanta operationum celestium vidissent miracula, non desperissent remedium pœnitentiæ, ubi non prædeterminationi, sed eorum arbitrio id tribuit.*

11. *Eadem vocatio quæ in uno est inefficax, in uno potest esse, imo et futura est efficax, si illi detur, etc.* — Ex hoc ergo loco concludimus eandem vocationem quæ in uno est inefficax, in alio posse esse, imo et futuram esse efficacem si illi detur, sine additione alicujus auxilii prævenientis, solum propter congruitatem ad eum qui bene usus esset illa vocatione, si ei daretur. Et ad idem confirmandum valet illud Ezechiel. 3: *Non ad populum profundi sermonis et difficilis linguæ tu mitteris, neque ad multos profundi sermonis, etc.* Et si ad illos mittereris, audirent te. Hæc enim conditionalis eodem modo induci potest et debet quo præcedens. Unde Hieronymus ibi: *Facilius illi audirent qui profundi sunt attinge sermonis, et nihil habent de levitate Judaica, sed gravi et solido ingrediuntur pede, et cum ignota sint linguæ, notæ fidei sunt, etc., quibus verbis circumstantias ad congruitatem vocationis conferentes videtur describere; et concludit: Unde sequitur: Et si ad illos mitterem te, ipsi audirent te.* Et alia similia, supra in prolegomen. 2 tractata, possunt huic argumento accommodari. Ubi etiam ostendi veritatem harum conditionalium propositionum non posse in prædeterminatione fundari, sed tantum in libera determinatione arbitrii futura. Et inde consequenter infertur efficaciam vocationis in actu secundo pendere a libera cooperatione arbitrii, ex quo ulterius concluditur

efficaciam in actu primo includere habitudinem ad futuram liberi arbitrii determinationem, ac proinde in congruitate vocationis sitam esse.

CAPUT XXVII.

EADEM DOCTRINA ALIIS SCRIPTURÆ LOCIS AD BONUM USUM GRATIÆ EXHORTANTIBUS SUADETUR.

1. *Inducuntur illa Scripturæ loca, in quibus homines exhortantur ut suam vocationem reddant efficacem.* — Secundo, principaliter ad hoc inducimus illa Scripturæ testimonia, in quibus homines exhortantur ut suam vocationem, quantum est ex parte sua, reddant efficacem, utique in actu secundo, vel, quod perinde est, admonentur ne irritam reddant vocationem Dei, nam hæc duæ negationes illi affirmationi æquivalent, nec potest aliter vocatio non fieri irrita, nisi consentiendo seu cooperando illi. Hæc namque exhortationes supponunt in potestate hominis activa et morali positum esse sufficientis vocationis effectum. Nemo enim prudens alium monet ut agat quod non potest, neque excitat illum ad recipiendum quod ab alterius sola voluntate provenire potest, nisi etiam ex sua pendeat; ergo testimonia quæ ad effectum vocationis homines exhortantur, supponunt efficaciam non pendere ex prædeterminatione, sed dari homini in actu primo, et in ejus morali potestate constitui, quoad actum secundum, quod esse non potest nisi per vocationem congruam. Nam si intercedere debet prædeterminatio, exhortandi prius essent homines ut haberent prædeterminationem, quod tamen supervacaneum esset, cum ab illis fieri non possit, neque ab eorum arbitrio pendeat.

2. Primo igitur isto modo inducimus verba Petri, 2 epist., c. 1: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*; quæ verba quoad particulam *certam* duplicem habent sensum. Unus enim ut significant certitudinem cognitionis, ita ut sensus sit: *Satagite per bona opera, vel vos ipsos, vel alios certos reddere, quantum in hac vita fieri potest, quod vestra electio vel vocatio a Deo sit, vel quod sitis vere justii, aut etiam electi, et prædestinati, quem sensum Beda, OEcumen. et Glossa sequuntur.* Alter sensus est, ut Petrus non de certitudine subjecti, seu cognitionis, sed de certitudine objecti et vocationis loquatur, ita ut idem sit facere vocationem et electionem certam, quod facere fir-

mam, per ejus executionem. Quam expositionem indicat D. Thomas, 1 p., q. 23, art. 8; ait enim prædeterminationem fieri certam per bona opera, *quia per mediorem executionem certitudinaliter impletur*, et ideo dixisse Petrum: *Satagite*, etc. Igitur facere vocationem certam, idem est quod illam in re ipsa ratam ac firmam reddere. Quod expressius tradit noster Bellarminus, lib. 3 de Justificat., cap. 9, ad ultim.; et in versione quæ apud OEcumenium est, sic legitur: *Ut vocationem et electionem vestram firmam faciatis*. Et eodem modo legit Cajetanus, estque hæc expositio textui consentanea. Imo, si quis recte consideret, prior etiam expositio hanc involvit ac supponit, quia ideo bona opera sunt signa quæ possunt cognitionem aliquo modo certam gratiæ ac prædeterminationis, vel in ipso operante, vel in aliis generare, quia vocationem firmam et ratam reddunt. In hoc autem sensu idem est facere vocationem certam, quod facere efficacem et fructuosam; est ergo hoc in potestate hominis, et ab illo pendet, alias frustra diceretur illi ut suam vocationem certam faceret.

3. Deinde hoc confirmatur ex verbis Pauli, 2 Cor. 6: *Adjuvantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; quæ quidem verba licet ad omnem gratiam hujus vitæ accommodari possint, nam illa exhortatio, et in gratis datis, et in ipsamet habituali, saltem pro futuro tempore, locum habet, tamen Paulus de gratia communi omnibus fidelibus loquitur, cum omnibus exhortetur, illaque de gratia actuali potissimum intelligit, quia habitualis non fructificat, nisi media actuali, et in tantum manet otiosa, in quantum actualis gratia in vacuum recipitur. Eo vel maxime quod habitualis gratia non est communis omnibus, cum tamen ad omnes dirigatur exhortatio, unde etiam fit ut ibi maxime intelligenda sit gratia vocationis, quia illa est prima inter actuales, ac proinde communis omnibus qui gratiæ Dei participes aliquo modo effecti sunt, ad quos Pauli exhortatio generaliter dirigitur. Evidenter enim ad eos loquitur Paulus, qui gratiam aliquam acceperunt, cum expresse dicat: *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Unde Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbit., cap. 5, sic ait: *Ut quid enim eos rogat si gratiam sic susceperunt, ut amitterent liberum arbitrium*. Intelligit ergo Paulum ad eos loqui qui gratiam aliquam susceperunt. Quod etiam est per se evidens, nam si nullam recipiunt, quomodo possunt illam in vacuum recipere? Unde testimonium quod in-

ducit Paulus: *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjovi te*, et gratiam prævenientem datam supponit, et adjuvantem ostendit tempore placito, id est, legis gratiæ, oblatam esse; et ita D. Thomas ibi de gratia præveniente et cooperante locum illum interpreta-tur. Cum autem inter has prima gratia, quæ in homine recipitur, sit vocatio, de illa maxime monet Paulus, ne in vacuum illam recipiamus. Et ita intellexit locum illum Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbit., cap. 5, ubi hæc verba conjungit cum illis 1 Cor. 15: *Gratia Dei sum id quod sum, sed gratia ejus in me vacua non fuit*, quam gratiam ad vocationem reducit, dicens: *Ut autem de caelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola*. Quibus locis utitur etiam Concilium Senonen. in præfatione, ad ostendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio, quæ quidem concordia non habet difficultatem, nec habuit unquam respectu gratiæ habitualis, sed respectu actualis, et præcipue operantis, prævenientis, seu vocantis.

4. Hoc ergo supposito, tale ex hoc loco conficitur argumentum: nam vel Paulus loquitur de vocatione sufficiente in genere, ut abstrahit a congrua et incongrua, seu ab efficaci et tantum sufficienti, vel loquitur de pure sufficienti, vel de sola efficaci: quidquid horum dicatur, concluditur intentum. Nam si dicatur primum (ut plane dicendum est, cum Paulus generatim et indefinite loquatur), supponit admonitio Pauli esse in proxima hominis potestate, postquam sufficienter vocatus est, fructum talis vocationis ferre, si velit, et consequenter illam efficacem facere, vel illi resistere, et sic illam vacuum reddere. Dicent fortasse esse quidem hoc in potestate hominis vocati, sed non eodem modo, nam potest fructum talis gratiæ ferre, si aliam recipiat, qua prædeterminetur; potest item illam vacuum reddere, si non prædeterminetur. Sed contra, nam potestas dandi illam prædeterminationem est solius Dei, nec ad alterum illorum potest homo aliquid ex se præstare, ut supra probatum est; ergo frustra monetur vel a Petro ut firmam suam vocationem faciat, vel a Paulo, ut non in vacuum gratiam recipiat: nam prius oportuisset illum monere ut prædeterminationem recipiat, vel ut caveat carentiam prædeterminationis; hæc autem admonitio esset ridicula et frustranea, quia recipere vel non recipere prædeterminationem non est in hominis potestate, ut sæpe dictum, et probatum

est. Supponit ergo Paulus talem esse illam gratiam, ut in homine susceptam, ut ab homine ipso, adhibita sua cooperatione, possit fieri non vacua, quam nos congruentem vocamus, et quo possit etiam vacua fieri, si homo cooperari nolit.

5. Et declaratur amplius expendendo alia membra; nam si loquatur Paulus de gratia sufficienti, eo ipso exhortatur hominem, ut sufficientem gratiam efficacem faciat; ergo supponit hoc esse in proxima potestate hominis vocati, ex vi gratiæ sufficientis, ita ut, recepta illa gratia, immediate habeat in manu sua effectum gratiæ, sine alia gratia prævia, quæ non sit in hominis potestate. Probatur consequentia, quia, ut ibi Ambrosius et D. Thomas dicunt, *tunc gratia in vacuum recipitur, quando nullus ex ea fructus percipitur*, juxta illud Isai. 55: *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui*; ergo non reverti vacuum est reverti cum effectu. Sic ergo, in alio loco, gratiam Dei non in vacuum recipere, idem est quod non sine fructu et effectu illam recipere; ergo idem est quod bene illa uti, ita ut fructum ferat, nam duæ negationes affirmant. Idem ergo est *non in vacuum* quod cum fructu; si autem est cum fructu, jam est efficax; ergo monet Paulus ut ita in nobis recipiamus gratiam sufficientem, ut efficax etiam sit; ergo est in potestate nostra facere aliquid, quo posito gratia erit efficax. Quod verissime dicitur, si efficacia prævenientis gratiæ consistit in congruitate vocationis dicentis respectum ad nostram liberam cooperationem; cum efficacia autem prædeterminationis physici stare non potest, cum illa nullo modo sit in potestate hominis nisi mere passiva, nec ex nostra libertate pendeat, sed illam omnino antecedit.

6. *Propriam voluntatem hic appellat Augustinus, non ipsam potentiam, sed proximam potestatem libere utendi vel non utendi gratia.* — Denique non minus idem convincitur, si de gratia efficaci locum illum interpretemur, nam si eos etiam qui gratiam efficacem receperunt monet Apostolus ne in vacuum gratiam Dei recipiant, supponit profecto esse in potestate hominis vacuum reddere etiam illam gratiam, quæ, cooperante auxilio, futura est efficax. Nam si talis gratia supponeretur in homine recepta, cum qua impossibile esset homini non ferre fructum, supervacanea et illusoria esset admonitio, ut caverent ne gratiam illam in vacuum reciperent, quam receptam non pos-